

amica Republica legationi destinatæ , edicti pontificii promulgatione nota inuratur , ea præsertim in causa , in qua minime de religione ageretur : jam , si id permittat , dignitatem regiam in discrimen vocatum iri . Rex summam ex iis , quæ inter Pontificem atque Rempublicam acciderant , molestiam cepisse , vultu verbisque significat ; statimque vocari Senatum jubet , in quo , ne absque ejus permisso edictum vulgaretur , decretum est ; idque Nuntio , qui eam ob rem urbe exierat , Cardinalique nuntiari jussum . Ad Pontificem quoque datæ literæ , quibus , ut satis Reipublicæ faceret , in causa præser-  
tim ad religionem minime spectante , petebatur : alios Reges Reipublicæ cause favere , rationes illius probare , sese intelligere : ne edictum in Sarmatia vulgaretur , idem in Henrici tertii , Henrici quarti , Galliæ ac Navarræ Regum , atque in Cœsaris Eftensis causa in Sarmatia servatum . In Gallia nullis pontificii oratoris officiis vel precibus a veteri in Rempublicam benevolentia Henricus averti poterat ; liber Petro Priolo , oratori , ad templo aditus ; nihil de prisca consuetudine immutatum . Cum Carolo Emanuele , Allobrogum Duce , omni officiorum genere actum , ne supplicationibus , quæ pro indicto jubilæo habendæ erant , Petrum Contarenum , legatum , admitteret : at Carolus , ut Reipublicæ offendendæ causam amputaret , filiarum Principum interventu , ab invitandis Principum legatis abstinuit . Cum primum emissi fulminis nuntius in Britanniam est allatus , in publicis comitiis acerba gravissimaque in Catholicos decreta sunt . Rex , publicationis bonorum necisque poena proposita , sanxit , ut omnes subjecti intra anni spatiū jurejurando affererent , seque obstringerent ; neque Paulo quinto , neque successoribus se posterosque suos quacumque ex causa a cœtu fidelium amovendi , in Regem regnumque ipsum quidpiam molieri jus esse : oppositam huic sententiam , veluti religioni adversam hæreticamque , detestarentur atque ejerarent : ex quo multæ in Anglia turbæ excitatæ , quæ haud dubie ab Italiæ fluctibus emersere .

Romæ Halincurtius , Henrici Regis legatus , unā cum Eboricensi Cardinale atque Allobrogum oratore in ædibus Joannis Delphini , Cardinalis Vicetini , convenient ; de toto negotio

Sigismundi  
Regis decre-  
tum do Pö-  
tificum edi-  
cto non pro-  
mulgando .

Sigismundi  
Regis ad  
Pontificem  
de Veneta  
causa lite-  
rae .